

Letter 494: 31 December 1532, Strasbourg, Capito to Johannes Seger.

The text of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 155, no. 29, p. 74 and 1AST 174, f. 302.

Gratiam et pacem. Communibus literis rem omnem tenes, nec aliud cum essem coram in votis erat quam ut rixis sublatis purum Christum pure doceretis. Obsecro te, mi frater, in meliorem partem omnia interpreteris. Adeoque scripta vobis Campoduni viris scripta esse, nec putas ullum nos mortalium de industria impugnasse, sed patroni veritatis, reum falsi aut pernitosi erroris neminem peragere libuisse. Quod si Dominus dederit, ut vos remotis arbitris simpliciter intenderetis in rationem fidei, plane debellatum erit. Caeterum in consilium adhibentur morbi noxii. Interim vero praeposterum vel multitudinis vel magistratus iudicium, qua de re nuper vobiscum idcirco annitendum, ut veritas nullius autoritate privata subsistat, sed suis fidat nervis, quo minus humanorum affectuum caenum trahat. Oro Dominum, ut statariae istius tragoediae laetum tandem exitum det. Qui has pertulit, maiores in modum tibi studet, quem virum esse bonum arbitramur. Amplitudo materiae in causa fuit, ut eum diutius detineremus et per unius manum omnia tractanda erant. Rottachium iubeo salvere plurimum. Vale in Domino. Argen. ult. Decembris anno 1532.

Tuus Wolfgang. Capito

Quod si causa tulerit, vobis fratribus in commune sententiam nostram praelectam esse velim. Nam praesente Domino, pacificatore et agente et disceptante, pax non dubia sancietur. Itaque precibus adjunctis incumbendum est in huius generis studia, mi Serrane. Videbis bellum sacramentarium in spongiam casurum brevi. Ad solidam igitur veritatem vivax ingenium istud potius compone. Malo enim in aliis rebus dignioribus acumen tuum experire.